



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1679

Paschalis II. Papæ epistola ad Archembaldum Abbatem sancti Albini Andegavensis, qua confirmat iudicium Urbani II. de concordia inita inter monachos sancti Albini & Vindocinenses.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14735

*PASCHALIS II. PAPÆ
epistola ad Archembaldum Abbatem sancti
Albini Andegavensis, qua confirmat judi-
cium Urbani II. de concordia inita inter
monachos sancti Albini & Vindocinenses.*

Paschalis Episcopus servus servorum Dei dilecto filio Arcimbaldum Abbati monasterij sancti Albini quod apud Andegavim situm est salutem & apostolicam benedictionem. Ex prædecessoris nostri sanctæ memoriæ Urbani secundi Papæ litteris intelleximus quòd ante conspectum ejus à monachis sancti Albini adversus Vindocinenses quæstio facta fuerat super sancti Clementis Ecclesia Credonensis. Tum ex beneplacito ejusdem Pontificis deliberatum fuit ut Vindocinenses fratres pro recompensatione supradictæ Ecclesiæ aliam sancti Albini monachis Ecclesiam traderent. Unde factum est ut Vindocinenses eisdem monachis Ecclesiam sancti Iohannis super Ligerim darent. quod utriusque congregationis favore consensuque firmatum est. Nostro autem tempore Ioffridus Vindocinensis Abbas super eadem Ecclesia sancti Iohannis Arcimbaldum sancti Albini Abbatem sollicitare studuit. Unde nos ab eo efflagitati, Arcimbaldum ipsum nostris ad causam litteris evocavimus. Ceterum post terminum à nobis statutum, cum ipsi alio sibi tempore secundum vel tertium terminum statuissent, sicut nobis eorum litteris significatum est, Arcimbaldum semper ad perfectionem parato, sicut ex ejus legatione percepimus, Vindocinensis Abbas non solum non venit, sed nec excusationes rationabiles allegavit. Nos igitur simulationes & dissimulationes hujusmodi perpen-

Vide Goffrid.
lib. 1. epist. 8.

dentis, juxta postulationem venerabilis fratris nostri Rainaldi Andegavensis Episcopi quieti vestrae in posterum super hoc negotio duximus providendum. Presentis igitur decreti pagina convenientiam illam quae per supradicti praedecessoris nostri deliberationem constituta est firmam perpetuo permanere decernimus, omnimodis prohibentes ne super illa sancti Iohannis Ecclesia ulterius sancti Albini monasterium Vindocinensis Abbas inquietare praesumat. Quod si praesumpserit, inquietatio ipsa vires nullas obtineat.

Ego Paschalis Catholicae Ecclesiae Episcopus subscripsi.

Data Beneventi per manum Iohannis Diaconi Bibliothecarij VII. Kal. Iunij, Indictione VIII. incarnationis dominicae anno MCXV.

CHARTA DE CONTROVERSIA

& de bello quod fuit inter monasterium sancti Albini Andegavensis & Giraudum de Blancofurno pro terra Croiaci prope Peregrinam.

TEmpore quo Girardus Abbas monasterio sancti Albini praerat, quidam homo, Girardus de Blancofurno dictus, & Hubertus filius ejus, cum reliqua parentela sua, in quandam terram sancti Albini calumniam miserunt quae dicitur Croiacus, & est juxta Peregrinam. Hoc idem se fecisse dicebant temporibus aliorum Abbatum. Et cum Abba Girardus calumniam eorum sedare nequivisset, habuit placitum cum eis apud Peregrinam; in quo huiusmodi narrationem fecit Girardus. Matri meae duae sorores fuerunt: quarum una, cui nomen erat Amelina, sicut mulier lasciva, cuiusdam servi sancti Al-

Circa an.
1096.